



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118626**

§. 43. Theologicæ Facultatis oppositio de Religiosis præter consuetum  
numerum non admittendis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

## §. XLIII.

Sæcul. XVI.

A. C. 1563.

*Theologicæ Facultatis oppositio de  
Religiosis præter consuetum nu-  
merum non admittendis.*

Sub idem tempus Parisiensis Facultas  
Theologica quædam condidit sta-  
tuta circa numerum Religiosorum Men-  
dicantium, qui ad Facultatis gremium  
recipiendi essent; cum enim plures  
hunc honorem obtinere quærent, ac  
Regis, Principum, & Procerum patro-  
cinium hanc in rem sibi conciliare sa-  
tagerent, hinc Facultas sese cum tanta  
vehementia illis opponebat, ut die de-  
cima septima Februarii, cum Coignet-  
tus Regii Procuratoris Generalis literas  
deferret, quibus quemdam Ordinis  
S. Dominici Religiosum nomine *Impe-  
ratorem* admitti petiit, mox ad solam  
hanc propositionem omnes Doctores se-  
dibus suis assurgentes abirent, ac ne-  
quidem desuper deliberare vellent: se-  
cunda vero Junii die eadem Facultas  
Sorbonæ congregata audiebat Cardi-  
nalis Borbonii, Montpenserii Ducis, &  
Burdini Procuratoris Generalis literas,  
in favorem duorum Dominicanorum scri-  
ptas, hi enim præter morem Faculta-  
tis Doctoribus aggregari petebant: ve-  
rum ea res ad Deputatos remittebatur.  
Denique die decima quinta Octobris

*Argentre  
coll. Jud.  
tom. 2.  
pag. 335.  
& seq.*

Sæcnl. XVI  
A.C. 1563.

conventu habito epistola Cancellarii Hospitalii prælegebatur, qui eandem gratiam pro alio ejusdem Ordinis Religioso nomine Campono exorabat; itaque Deputati nominantur, qui Cancellario exponerent, quod ejus petitio facultatis statutis adversaretur.

§. XLIV.

*Morlasiensis Antitrinitariorum Synodus.*

*Hist. reform.  
Ecl. Pol.*

Mense Junio hujus anni Antitrinitarii, qui jam antea Pinczoviæ plura, prout meminimus, habebant conventicula, Morlasi Vilnensis Palatinatus urbe aliam habebant Synodum, ubi convenerunt viginti duo sectæ hujus Ministri, qui decretum condebant adversus cunctos dogma Dei unius, ac trini in Personis propugnantes: porro hoc decreto velut classico potissimas spurixæ reformationis Ecclesias contra Sanctissimæ Triadis Mysterium excitabant, adeo, ut quamplurimi Ministri, Magistratus, Nobiles, Equites, Gubernatores, Palatini; ac secretioris Senatus Consilarii tam in majori, quam minori Polonia, Lithuania, Russia, Podolia, Volinia, Prussia, Moravia, Silesia, & Transylvania novum Arianismum palam profiterentur, atque Divinitatem, æqualitatem, & Christi con-